

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO METAPHYSICA  
DE  
DISTINCTIONE  
RELATIONIS PRÆ-  
DICAMENTALIS A FUN-  
DAMENTO SUO.

Quam  
Consensu Amplissimi Collegii  
Philosophici in Illustri Salana

PRÆSIDE

M. ANDREA Hagemann/  
OSTERODA-SAXONE,

Ad D. April.

*publicè defendendam suscipit*

JOHAN. CHRISTOPHORUS Hundeshagen/  
Mülhufa-Thur.

*In Auditorio Philosophorum*  
Horis Solitis.

---

J E N Æ

Literis JOHANNIS NISII:

ANNO

ACADEMIE IVBILÆO.

Coll. diss. A  
174, 43

874.4.174(43.1)





I. N. D.

De

DISTINCTIONE RELATIONIS  
PRÆDICAMENTALIS A SUO  
FUNDAMENTO.

§. I.

**D**ifficillima & valdè intricata quæstio est :  
quomodo relatio prædicamentalis à suo funda-  
mento differat ? quam attentius non nihil hac  
vice sumus consideraturi. Ut igitur illud eò  
meliùs fieri queat, pauca erunt præmittenda.  
Monemus autem ante omnia, quòd autores hìc  
per fundamentum relationis prædicamentalis  
intelligant aliquid intrinsecum subjecto, propter quod ipsum sub-  
jectum aptum est suscipere relationem, seu ad aliud purè sub rati-  
one termini referri.

§ II. Deinde observandum est, quòd distinctio duplex  
detur. I. Realis. II. Rationis. Distinctio realis est, quæ objectis  
citra mentis operationem competit, e. g. Petrus & Johannes dif-  
ferunt realiter, quia nemine cogitante seu citra mentis operatio-  
nem Petrus à Johanne differt. Et dividitur porrò in distinctio-  
nem realem specialiter sic dictam, & modalem quæ est inter rem  
& ejus modum. Distinctio rationis autem est illa, quæ objectis  
citra mentis operationem non convenit. Et hæc etiam duplex  
est : rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Distin-  
ctio rationis ratiocinantis, explicante Suarezio, fit sine varietate  
& dissimilitudine conceptuum formalium, (Est autem conceptus  
formalis, secundùm Mendozam, actus intellectus, quo objectum  
exprimitur & cognoscitur. Huic opponitur objectivus, qui est i-  
psa res expressa & cognita per formalem) ita ut non sint plures  
conceptus formales, sed ut unus geminetur & repetatur. Sic Pe-

A 2

trus

trus distinguitur à seipso e. g. in ratione subjecti & prædicati, quando dico: Petrus est Petrus: idem enim conceptus repetitur. Distinctio verò rationis ratiocinatæ (quæ absolutè etiã distinctio rationis vocari solet) fit per conceptus formales inadæquatos ejusdem objecti & habet fundamentum in re ipsa: fundamentum autem illud plerumque sunt diversa connotata. Sic in DEO omnipotentia & omniscientia non differunt nemine cogitante sed per mentis nostræ operationem: intellectus enim noster essentiã divinã inadæquatè concipit modò ut omnipotentiam modò ut omniscientiam & quidem in ordine ad diversa connotata. Vid. *Suarez Diss. Met. VII. Sect. I. Petr. Hurtad. de Mendoza Diss. Met. VI. & B. Stablius Instit. Metaph. part. gener. cap. XXXIII.*

§. III. Quæstio igitur proposita huc redit: utrum relatio prædicamentalis differat à fundamento realiter an verò ratione? Hic auctores in diversas abeunt sententias. Primò quidam docent, quòd relatio sit res distincta realiter à fundamento suo. Quæ sententia tribuitur *Capreolo in I. sent. dist. XXX. quest. I. Cajetano in I. part. Thom. quest. XXVIII. art. II. Ferrariens. IV. contra Gentes cap. XIV.* quos sequuntur *Petr. Tataretus Explan. seu comm. in lib. Categ. Arist. de relatis art. II. Job. Sanchez. comm. in univ. Arist. Log. Tom. II. quest. LII. Didac. Masius comm. in Categ. Arist. de relatis sect. II. quest. II. concl. II.* Et eidem sententiæ ex parte subscribere *Scotum II. sent. dist. I. quest. III. item III. dist. VIII. quest. I.* ac *Durandum I. dist. XXX. quest. II.* testatur *Suarez Diss. Met. XLVII. Sect. II.* Alii modalem distinctionem inter fundamentum & relationem faciunt. Ita sentit *Antonius Ruvio*, qui quidem *in lib. Categ. Cap. VII. quest. XIV.* calculum suum sententiæ eorum, qui relationem realiter à fundamento differre statuunt, adjicit: attamen statim clariùs mentem suam explicat, *boc solum*, inquit, *addendum est; quòd talis distinctio non est ita realis, qualis reperitur inter duas res, sed qualis reperitur inter rem & modum ejus.* *Petrus Fonseca in lib. V. Metaph. cap. XV. quest. II. Sect. V.* neque realem neque modalem admittit distinctionem, sed existimat fundamentum à relatione differre formaliter nobis, inquit, *magis placet relationes reales ad hoc prædicamentum pertinentes universè distingui à fundamento formali distincti-*  
one,

one, ita ut omnes habeant proprium ac peculiare esse tum essentia-  
rum existentie distinctum ab esse fundamenti. Et citat pro sua sen-  
tentia *Chrysof. Javellum V. Metaph. quest. XXII.* (Sed an Javel-  
lus hac in parte cum Fonseca faciat, valdè dubitamus) & *Sorum*  
*in predicam. cap. de Relat. quest. II.*

§. IV. Quamvis autem hi autores diversas foveant opini-  
ones: in eo tamen omnes conveniunt, quòd inter fundamen-  
tum & relationem à parte rei & citra mentis operationem quæ-  
dam distinctio intercedat: & possunt pro hâc assertione sequentia  
proferri argumenta. I. Quorum unum potest esse sine altero, il-  
la differunt realiter (juxta *Arist. VII. Topic. cap. I. text. XVI.*)  
Sed fundamentum & relatio ita se habent ut unum eorum possit  
esse sine altero. E. fundamentum & relatio differunt realiter.  
Major clara est. Minor probatur, quia fundamentum relationis  
adest antequam fiat relatio, e. g. adest albedo priusquam fit simi-  
litudo cujus fundamentum albedo est. II. Si relatio prædica-  
mentalis non differt realiter à fundamento, sequitur quòd relatio  
sit non ens. Posterius est falsum. E. & prius. Consequentia pro-  
batur. Nam quando homo fit pater, aut acquirit novum esse  
reale aut non. Si prius, relatio erit res distincta realiter à funda-  
mento, quia fundamentum prius adfuit quàm adveniret relatio.  
Sin posterius, relatio erit nihil. III. Quicquid nemine cogi-  
tante in sua essentia involvit terminum, illud differt realiter à  
fundamento relationis. Atqui relatio nemine cogitante in suâ  
essentia involvit terminum. E. relatio differt realiter à funda-  
mento suo. Minor probatur, quia nulla res potest esse relatio,  
nisi involvat terminum quem respiciat. IV. Quicquid potest  
esse substantia, illud non potest esse realiter idem cum relatione.  
Sed fundamentum relationis potest esse substantia. Ergò funda-  
mentum relationis non potest esse realiter idem cum relatione.  
Major patet, quia relatio est accidens prædicamentale, accidens  
autem non potest esse substantia. Minor probatur quia v. g. rela-  
tionis, quâ creatura refertur ad creatorem, fundamentum est  
ipsa creaturæ substantia. Vid. *Suarez Diss. Met. XLVII. Sect. VII.*  
*n. IV. & Ruvio in lib. Categ. Cap. VII. de ad aliquid quest. X.*  
*Scheiblerus lib. II. Metaph. cap. IX. tit. V. art. III. punct. 1. n. 40.*

& alii. V. *Causa differt realiter ab effectu.* Fundamentum est causa (relationis.) Ergo differt realiter ab effectu (sc. à relatione.) Minor patet ex definitione fundamenti. VI. Si fundamentum & ratio à parte rei sunt idem, sequitur quòd eadem res possit simul intendi & remitti. Consequens est absurdum. Ergò & antecedens. Consequentia probatur h. m. sint duo ligna quoad albedinem similia; si hujus ligni albedo pateretur intensiorem, ratio nempe similitudo pateretur remissionem; quia similitudo tunc interiret, & sic una & eadem res quæ est fundamentum & ratio posset intendi & remitti, quod absurdum. VII. Si fundamentum & ratio non differunt realiter, sequitur quòd duo opposita e. g. similitudo & dissimilitudo sint idem. Consequens est absurdum. E. & antecedens. Consequentia probatur. Nam, quando adsunt duo ligna, quorum unum alteri per albedinem est simile, albedo est fundamentum, similitudo autem est ratio. Si verò idem lignum ratione albedinis dissimile est alicui tertio v. g. ligno nigro, eadem albedo est fundamentum relationis quæ est inter lignum album & nigrum, sc. dissimilitudinis. Si jam hæ duæ relationes, nempe dissimilitudo & similitudo sunt idem cum fundamento sc. albedine, manifestò sequitur, quòd opposita sint idem. IIX. Si fundamentum relationis non differt realiter à relatione, sequitur quòd omnis ratio dependeat à mentis nostræ operatione, & per consequens nulla erit realis. Posterius est absurdum. Ergò & prius. Consequentia patet: Si enim ratio à parte rei esset ipsum fundamentum tunc non esset ratio nisi accederet mentis nostræ operatio, quæ rem illam ut relationem concipiat.

§. V. Verior nihilominus videtur sententia eorum, qui relationem à suo fundamento non realiter sed solâ ratione ratiocinatâ differre arbitrantur. Quæ sententia adscribitur *Nominalibus, Occam in I. sent. dist. XXX. quest. I. & dist. XXXI. quest. I. Gregor. de Arimin. I. sent. dist. XXVIII. quest. II. art. II. Ægidio ib. dist. XXVI. quest. IV. Item Marsilio in I. quest. XXXII. art. I. Hervæo (cui tamen Job. Sanchiez contrariam tribuit sententiam) in I. dist. XXX. quest. I. art. I. item quodlib. VII. quest. XV. & quodlib. X. quest. I. Hos sequuntur Cbrys. Javellus in V. Metaph. quest.*

*quæst. XXII. Paulus Soncinus in V. Metaph. quæst. XXVIII. Franc. Suarez Disp. Met. XLVII. sect. II. n. XXII. P. Hurt. de Mendoza, Disp. Met. XV. sect. II. Armandus de Bello visu Explic. term. tract. II. cap. CLXXXV. Scheiblerus lib. II. Metaph. cap. IX. tit. V. art. III. punct. II. & B. Stahlus Instit. Metaph. part. spec. sect. V. cap. VI.* Hanc itaque sententiam tanquam probabiliorem nos amplectimur & probamus argumento tali : Si relatio citra mentis operationem & realiter à fundamento differt, sequitur quòd res illa cui præter fundamentum relatio quædam advenit, novam accipiat entitatem. Sed posterius est falsum. Ergo est prius. Consequentia firmo stat talò : nam si relatio & fundamentum à parte rei distinguuntur, erunt distinctæ entitates. Si hoc. Ergò utique res illa, quæ quidem habet fundamentum, sed relatione caret, quando relationem accipit, simul quandam entitatem, quam antea non habebat, nanciscitur. Minor probatur hoc modo : Si per relationem rei nova accedit entitas, sequitur in eâ fieri quandam mutationem. Ratio est, quia tunc aliter se haberet quàm antea. Consequens verò falsum est. Ergò & antecedens. Assumptio probari solet ex *Aristotele lib. V. Phys. cap. II. text. X.* ubi ait : *Secundùm substantiam autem non est motus, propterea quod nullum est entium substantiæ contrarium. Neque ei quod ad aliquid (seu relationi) contingit enim altero mutationem patiente, verè dici alterum nihil mutationis subire, quare secundùm accidens motus horum est.* Conf. *VII. Phys. cap. III. text. XVII.* Deinde res etiam manifesta est. Nam quando homo aliquis fit pater, sanè nullam recipit mutationem, sed tantùm propter coexistentiam filii fit pater. Sic e. g. fit Petrus Jenæ homo albus, & Romæ Paulus fiat Petro similis, an tunc in Petro oritur nova entitas per quandam mutationem ? minimè ; & tamen tali in casu inter Petrũ & Paulum est relatio. Eodem modo se res habet in aliis exemplis.

§. VI. Hic respondent autores, & quidem *Antonius Ruviolus* loc. *suprà cit.* distinguit inter mutationem per se & per accidens. *Per se*, inquit, *mutatur illud, cujus mutatio intenta est à naturâ vel ab aliquo agente naturali. Per accidens verò mutatur, si mutatio ejus casu contingat, vel ex mutatione alterius extrinseci.* Dicit igitur quòd *Aristoteles* loc. *cit.* loquatur de mutatione per se, non

non

non verò de mutatione per accidens. Alii hoc aliter proponunt. *Johan. Sanchez loco supra citato* distinguit inter mutationem physicam & metaphysicam. Physicam vocat illam, quæ fit per motum seu mutationem physicam: metaphysicam verò quæ terminatur ad productionem alicujus rei quæcunque illa sit. Relationem subjecto per mutationem Metaphysicam non verò per mutationem physicam advenire statuit. Addit, mutationem physicam secundariò etiam ad relationem terminari. *Did. Mafius loc. alleg. ad I. cum Ferrar. IV. contra gent.* respondet duplicem esse mutationem, unam physicam & naturalem, quæ fit per verum motum & expulsionem contrariæ qualitatis, ut est calefactio vel dealbatio; & alteram Metaphoricam, quæ non fit per verum motum aut per expulsionem contrarii, sed per simplicem quandam emanationem & resultantiam naturalem. Hisce præmissis dicit Aristot. l. c. docere ad relationem non esse per se motum, sc. Physicum. Existimat autè Mafius relationem advenire subjecto per mutationem metaphoricam, quia relatio naturaliter à fundamento posito termino in rerum naturâ resultat. Deinde aliam responsionem, quam tribuit *Durando in I. sentent. dist. 10. q. 2.* subjungit, & dicit relationem posse alicui advenire sine mutatione absoluta; non autem sine mutatione relativa, cum subjectum, quòd de novo recipit relationem, mutetur relativè.

§. VII. Verùm quocunque modo distinctionem illam inter mutationes hæc explicent; nihil tamen obtinere poterunt. Aut enim per mutationem illam, quam mutationem per accidens, metaphysicam & metaphoricam vocant, intelligunt veram & propriam mutationem: aut intelligunt improprie dictam, seu talem mutationem, quæ revera nulla est: Si hoc, manet, quòd relatio per nullam mutationem subjecto adveniat. Sin illud, sequitur, quòd subjectum illud, cui relatio advenit, acquirat novum aliquod esse, siquidem propter accessionem relationis nulla mutatio, quæcunque etiam sit, si modò vera sit mutatio, in subjecto fieri potest, nisi etiam nova adveniat entitas, aut privatio alicujus entitatis propter quam subjectum mutari dicatur. Quâ ratione verò jam probabitur, album hîc existens quòd sit simile albo, quòd sit Romæ, acquirere aliquod novum esse per illud album quòd fit

fit



fit Romæ? Dicis: Aristoteles tamen loc. *suprà cit.* concedit, quòd per relationem fiat motus per accidens. E. fit aliquis motus per relationem. Resp. Loquimur hìc de relatione prout à fundamento distinguitur: jam verò ille motus, quem Aristoteles admittit, non provenit à relatione, quatenus talis est, ceu patet ex *Comimbri censum* explanatione, quorum verba in h. l. hæc sunt: *ostendit (Aristoteles l. c.) neque ad relationem esse per se motum: quia non potest ad id motus esse, quòd alicui absque ejus mutatione accidere potest: at relatio ita se habet. Si enim Plato albedine præditus sit, Socrates nigredine, postmodum verò Socrates albescat, utique Plato sine ullâ sui mutatione Socrati similis fiet novâ similitudinis relatione, quam antea non habebat. Monet autem dari ad relationem motum ex accidente; nimirum quia saltem in altero relatorum mutatur subjectum ad relationis fundamentum, ut in proposito exemplo Socrates ad albedinem.* Relatio igitur, quâ talis per nullam mutationem subjecto advenit, & per consequens firmo adhuc stat talò argumentum nostrum *suprà allatum.* Quòd si itaque relatio à fundamento realiter (generaliter accipimus hanc vocem) non differt, sequitur quòd solâ ratione ab eo differat. Nam quòd distinctio quædam inter relationem & ejus fundamentum intercedat, certum est; si verò illa distinctio non est realis, erit distinctio rationis; tertium enim non datur, prout ostendit *B. Stablius Inst. Met. p. gen. cap. XXXIII.* Et sic probata est nostra sententia. *Conf. Suarezium D. M. XLVII. sect. II. n. XVI. & XVII.*

§. IIX. Pluribus jam sententiam nostram declarare possemus; quia verò id in solutione argumentorum pro contrariâ sententiâ adductorum commodissimè fieri potest, sine ulteriori morâ ad ea respondebimus. Ut autem distinctè rem proponamus, præmittimus l. ex *Hurt, de Mendoza D. M. VI. sect. IV. subs. 1. & B. Stablio l. c.* distinctionem rationis ratiocinatæ fieri per conceptus formales inadæquatos ejusdem objecti, & habere fundamentum in re, ut diximus etiam §. II. *Fundamentum autem illud, inquit B. Stablius, sunt ut plurimum connotata, quæ objectum respiciunt.* Quando igitur ejusmodi connotata adsunt, tunc distinctio rati-

B  
rois

onis oriri potest. Et vicissim, ubi connotata illa non sunt; ibi etiam illa rationis ratiocinatae distinctio non est, cujus fundamentum esse debent. Vid. *Suarezium D. M. VII. sect. I.* Deinde sciendum est, quod relatio possit dupliciter considerari. 1. formaliter, quatenus sc. est relatio, & sic non potest esse nisi adsit terminus quem connotat. 2. fundamentaliter seu materialiter, nempe pro re quae nemine cogitante relatio est, non autem quatenus relatio est.

§. IX. Hisce praemissis respondemus ad I. argumentum, quod in ejus minore relatio vel sumatur materialiter, vel formaliter. Si priori modo, negamus minorem: falsum enim est, quod fundamentum possit esse sine re illa quae relatio vocatur, cum fundamentum & relatio non sint res distinctae, ut supra probavimus. Probationem quod attinet ea nihil aliud probat, quam quod fundamentum possit esse in rerum natura, ut tamen non vocetur relatio, & sic probat tantum quod fundamentum possit esse sine relatione formaliter considerata. Concedimus autem, quod relatio formaliter considerata non statim ponatur positio fundamenti. Ratio haec est, quia ad hoc, ut fundamentum relationis formaliter sit relatio, requiritur coexistentia termini, quem relatio connotat; & per consequens nihil aliud probatur, quam quod fundamentum, cum quo relatio est idem, possit esse sine termino illo, qui ad hoc ut relatio formaliter existat, requiritur. Hinc *Socinus V. Metaph. quest. XXVIII. quamdiu, inquit, est potentia generativa, tamdiu est illa entitas quae est paternitas, licet non dicatur paternitas nisi dum filius est: haec enim entitas potest concipi, ut est principium generandi; & ut sic nominatur hoc nomine haec potentia generativa quia sic nominamus ut concipimus. Potest etiam concipi conceptu collativo & comparativo ad filium: & sic nominatur per terminos; dum igitur filius non est, haec entitas est quidem: sed non est paternitas.* Si itaque relatio in minore hujus argumenti accipiatur posteriori modo seu formaliter, limitari potest major h. m. quorum unum potest esse sine altero, illa differunt realiter quoad id secundum quod unum sine altero existere potest. Si jam subsumatur: atqui fundamentum & relatio (formaliter considerata) ita se habent, ut unum eorum possit esse sine altero, conclusio erit haec: E. fundamentum & relatio diffe-

diffe-

differunt realiter, quoad id secundum quod unum sine altero esse potest: quam concedimus; siquidem id, secundum quod relatio formaliter considerata potest abesse à fundamento, nihil aliud est, quam terminus ille sine quo aliquid esse nequit relatio. Quodd autem fundamentum à termino solâ ratione differat nos non dicimus. Vid. *Suarez D. M. cit. sect. II. n. XXIII.* & *Scheible-  
rus loc. sup. cit. n. 54.*

§. X. Ad secundum respondemus negando consequentiam; quam probatio nullo modo stabilire potest; siquidem non sequitur: subjectum relationis v. g. homo, quando fit pater, non acquirit novum esse reale. E. relatio est nihil: sed hoc tantum sequitur E. relatio non est aliquid distinctum realiter à fundamento. Nam quando homo aliquis habet fundamentum paternitatis, tunc etiam habet rem illam, quæ postmodum, quando filius ipsi nascitur, relatio vocatur. Quia verò illa entitas non potest esse relatio (formaliter considerata) nisi etiam adsit connotatum illud, cuius respectu relatio est; ideo patet quod tunc demum fundamentum relationis dicatur relatio, quando illud extrinsecum, ad quod refertur, adest; & per consequens homini, qui pater fit, item albo, quando fit simile, nulla propterea nova entitas accedit; siquidem homo pater & album simile prius denominari non potest, quam accedat illud extrinsecum nempe terminus quem postmodum intrinsecum, seu res illa quæ fundamentum & relatio est, respicit. Unde aliud est, relationem seu rem illam quæ in patre vel alio quodam subjecto est relatio, esse in rerum natura; & aliud, rem illam esse in rerum natura sub ratione relationis. Prius verum esse potest antequam e. g. homo dicatur pater, album simile &c. non verò posterius. Eodem ferè modo hoc explicat *Armandus de Bello visu* quando in *Explicit. term. Tr. II. cap. CLXXXV.* ait: *credo, quòd relatio non differat realiter à suo fundamento, sicut differunt due res & due natura, quarum una non est alia: sicut similitudo & albedo, super quam fundatur relatio similitudinis non differunt intrinsecè: sed tamen potest dici, quòd differunt extrinsecè; quia ipsa relatio importat aliquid, quod non est ipsum fundamentum. Illa enim res eadem formaliter, quæ facit Socratem album, sc. albedo, facit ipsum similem*

Platoni albo: nec similitudo aliquid intrinsecè addit supra albedinem existentem in Socrate, quod diversum sit ab albedine: sed extrinsecè similitudo super albedinem addit & importat coexistentiam alicujus existentis in Platone, cui est similis, & hoc est albedo. Haftenus Armandus.

§. XI. Cavendum igitur est, ne quis existimet relationem (prout à parte rei est) provenire à termino, ita ut terminus eam demum producat: sed intelligendum est, inquit Suarez D. M. cit. sect. II. n. XXII. relationem quidem dicere formam aliquam realem & intrinsecè denominantem proprium relativum, quod constituit: illam verò non esse rem aliquam aut modum ex natura rei distinctum ab omni forma absolutà, sed esse in re formam aliquam absolutam, non tamen absolutè sumptam; sed ut respicientem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat. Ita ut similitudo v. g. aliqua forma realis sit existens in re qua denominatur similis: illa tamen non sit in re distincta ab albedine, quantum ad id quod ponit in re, qua dicitur similis; sed solum quantum ad terminum quem connotat: & ita similitudo in re non est aliud quam ipsa met albedo, ut respiciens aliam albedinem tanquam ejusdem seu similis rationis.

§. XII. Excipit hinc Antonius Raviò in lib. Categ. cap. VII. de ad aliquid quest. XIV. hæc solutio, inquiens, verba solum continet & nihil aliud: quare nec potest argumento satisfacere: quod sic probo. Ante operationem intellectus, antiquum album sit realiter, formaliter & accidentaliter simile; cum prius non esset simile; licet haberet albedinem: sed talis denominatio non potest provenire, nisi à formà inherente de novo acquisita: cum denominatio sit nova, & acquirat talem denominationem novam sine dependentia ab intellectu: imò licet nunquam ab eo cognoscatur: ergò acquirat novam formam, absque dependentia vel distinctione intellectus; & ideo ex natura rei distinctam à fundamento, quod habebat prius. Argumentum potest esse tale: quicquid citra mentis operationem acquirat novam denominationem, illud etiam acquirat formam inherenter de novo acquisitam. Atqui subjectum alicujus relationis e. g. album (quando fit simile) citra mentis operationem acquirat novam denominationem. E. acquirat etiam formam inherenter

inhærentem de novo acquisitam, & per consequens per relationem acquirit novum esse reale distinctum à fundamento.

§. XIII. Verùm Resp. negando majorem, non enim omnis denominatio nova requirit novam formam intrinsecam; eùm etiam propter aliquod extrinsecum res novam denominationem accipere possit, quæ propterea non statim extrinseca denominatio vocanda est. Hoc ut intelligatur, sciendum est, quòd ab una & eadem re aliquid possit diversimodè denominari, quatenus illa res consideratur in ordine ad diversa connotata e. g. attributa divina inter alia distinguuntur in absoluta & relativa: licet verò hæc attributa à parte rei non differant; de Deo tamen non eodem modo prædicantur; nam à relativis Deus non potest denominari, nisi essentia divina referatur ad aliud nempe creaturas: Deus tamen propterea non accipit formam inhærentem de novo acquisitam. Ita etiam se res habet hoc loco. Nam à fundamento cujusdam relationis e. g. ab albedine potest aliquid dupliciter denominari 1. album. 2. simile. Sed posteriorem denominationem subjectum albedinis non accipit, nisi existat connotatum illud, cujus respectu ab albedine aliquid dicitur simile: est enim hæc denominatio relativa. Et ita manifestum est, quòd nova illa denominatio non requirat formam inhærentem de novo acquisitam, ceu vult Ruvio: sed requirit tantùm extrinsecum connotatum, sine quo ab una & eadem re (e. g. albedine) aliquid diversimodè denominari nequit. Quod si quis igitur quærat, à quonam homo denominetur pater, album simile? &c. respondeamus à fundamento relationis quatenus ad aliud sub ratione termini refertur. Et sic procedit denominatio relativa ab aliqua formâ intrinsecâ cum connotatione extrinseci.

§. XIV. Dicis: quicquid nemine cogitante est respectivum quid, illud differt realiter ab eo quod nemine cogitante est absolutum. Sed relatio realis nemine cogitante est respectivum quid. Ergò differt realiter ab eo quod nemine cogitante est absolutum sc. à fundamento. Resp. negatur major. Nam una & eadem res potest simul esse respectivum & absolutum quid citra mentis operationem, diverso tamen respectu: E. g. Deus nemine cogitante est ens absolutum, & nemine cogitante est creator, creato-

rem esse verò est respectivum quid. Instas: quomodo eadem res à parte rei potest esse absoluta & relativa, cum absolutum & respectivum differant. Resp. potest una & eadem res nemine cogitante esse absoluta & respectiva diverso respectu; ita tamen ut illud esse absolutum à respectivo citra mentis operationem non differat: aliud enim est absolutum & respectivum esse citra mentis operationem in rerum natura, & aliud est, absolutum & respectivum esse citra mentis operationem distincta. Prius potest esse verum, ut tamen posterius sit falsum. Nam quando illud absolutum à respectivo debet distingui, tunc intellectus per diversos conceptus inadæquatos rem eandem modò concipit, ut absolutum quid; modò ut respectivum quid: interim tamen tam absolutum quàm respectivum est in rerum natura; sed non existunt tanquam realiter distincta. Neque etiam ex hisce sequitur, quòd de eadem re opposita possint prædicari, nempe absolutum & respectivum; siquidem diversus respectus oppositionem tollit v. g. Petrus est absolutum quid quatenus est homo & est respectivum quid quatenus est Pater.

§. XV. In tertio argumento nova movetur quæstio: an nimirum terminus sit de essentia relationis? quæ paucis est exponenda. Quidam affirmativam amplectuntur sententiam, inter quos refertur *Augustinus Niphus lib. V. Metaph. Diss. XVI.* Et eandem sententiam sequi videtur *P. Hurt. de Mendoza Diss. Met. XV. sect. III.* Alii verò negant terminum esse de essentia relationis. Huic sententiæ favet *Soncinas quest. Metaph. in V. Metaph. qu. XXXIII.* & videtur etiam probabilior. Commodè tamen hinc distinctione utimur: potest enim interdum essentia bifariam considerari 1. prout per intrinseca explicatur. 2. quatenus essentia illa per definitionem ἐκ τῆς οὐσίας explicatur. Si priori modo essentia impræsentiarum consideratur, terminus non est de essentia relationis, & per consequens minor in tertio argumento falsa est. Licet enim relatio non possit explicari & definiri absque termino: inde tamen non sequitur, quòd terminus relationis essentiam, quatenus scilicet à parte rei existit, tanquam pars ingrediatur. Nam plurima dantur accidentia, quorum essentia non potest explicari, seu quæ non possunt definiri sine quadam substantia, ut videre est  
in

in definitionibus, quæ vocantur definitiones per additamentum, & tamen substantiæ non constituunt essentiam accidentium e. g. finitas est concavitas nasi, cum tamen nasus finitatis essentiam intrinsecè non constituat. Quod si verò essentia in argumento tertio posteriori modo sumatur, minorem admittimus, sed negamus majorem. Possunt enim quædam à parte rei esse idem, ut tamen unum eorum in suo conceptu quidditativo seu definitione includat aliud quod realiter ab eo, cum quo illud idem esse dicitur, differt. e. g. attributa Dei relativa non possunt explicari sine quodam extrinseco, quod ab essentia divina realiter differt, & tamen attributa illa ab essentia divina sola ratione differunt; quæ de re agit *Martinus Becanus part. I. Theol. Schol. Tr. I. Cap. I. quest. III.* Vid. *Suarez D. M. XLVII. sect. VIII. n. IX. & seqq.* & *B. Stablius Inst. Met. p. sp. sect. V. cap. VII. concl. 3.*

§. XVI. Dicis: Relatio nihilominus habet essentiam distinctam à fundamenti essentia: quæcunque verò habent distinctas essentias, illa differunt realiter. Resp. paucis: quæcunque habent essentias citra mentis operationem distinctas, illa differunt realiter: sed negatur quod relatio & ejus fundamentum habeant essentias citra mentis operationem distinctas. Quòd autem fundamentum & relatio habeant essentias per mentis nostræ operationem distinctas, nos concedere possumus: verum inde non potest inferri distinctio realis; siquidem permultas possumus dare instantias e. g. attributa divina, omnipotentia, omniscientia, &c. habent distinctas essentias, per mentis nostræ operationem, & tamen realiter non differunt.

§. XVII. Ad IV. argumentum respondet *B. Stablius Institut. Met. p. s. f. V. c. IV.* cum *Suarezio Disp. Met. XXXII. sect. I. num. XXIII.* & *D. M. XLVII. sect. VII. n. VIII.* dicens, aliud esse loqui de accidente physico; aliud verò loqui de accidente prædicamentali seu logico. *Accidens physicum in re verè inest & accidentaliter advenit, & sine dubio requirit distinctionem aliquam ex natura rei,* ait *Suarez.* *Accidens verò prædicamentale seu logicum, secundum modum prædicationis (verba sunt Suarezii) & conceptionis nostræ accidentaliter ac contingenter dicitur, secundum specialem aliquam rationem, quæ ad constituendam aliquam ordinationem*

nem

nem prædicamentalem sufficiat; & hujusmodi accidens non semper requirit actualem distinctionem in re. Sic ergò dicendum est, (inquit idem disp. 47. sect. 7. n. 8.) relationes quæ proximè in substantia fundantur, non esse accidentia physica & quoad entitatem suam, sed solum esse accidentia prædicamentalia, quoad figuram & modum prædicationis, quia secundùm rationem formalem suam sunt extra rationem substantiæ & ideò non est inconueniens quòd tales relationes non distinguantur in re à substantia. Haftenus Suarez. Ex hisce apparet, quòd juxta hanc responsionem in argumento quarto neganda sit major propositio. Conf. Chrys. Favellum in lib. V. Metaph. quest. XII. d. 2. Paul. Soncin. ibid. quest. XXXI.

§. XVIII. Dicis: quicquid nemine cogitante seu citra mentis operationem est relatio, illud citra mentis operationem est accidens. Sed relatio realis quæ fundatur immediatè in substantia citra mentis operationem est relatio. Ergò citra mentis operationem est accidens, & per consequens citra mentis operationem non potest esse substantia. Resp. Præsupposità Suarezii & B. Stahlii distinctione concedi potest totum argumentum, si loquatur de accidente prædicamentali: ad hoc enim ex mente Suarezii non requiritur, ut à substantia realiter differat. Quando autem porò dicitur, quòd illud quod citra mentis operationem est accidens, non possit citra mentis operationem esse substantia, responderi potest id verum esse de accidente physico. Nam potest aliquid secundùm sententiam autorum jam citatorum nemine cogitante esse accidens prædicamentale & substantia, non quasi nemine cogitante illa substantia etiam sit ab accidente distincta; sed quia distinguuntur per diversos conceptus formales inadæquatos, ita ut eadem res modò consideretur, prout refertur ad aliud tanquam terminum, modò tanquam substantia.

§. XIX. Instas: quæcunque involvunt rationes oppositas, ea citra mentis operationem non possunt esse idem: sed accidens & substantia involvunt rationes oppositas. E. citra mentis operationem non possunt esse idem. Resp. i. per instantiam. Attributa divina v. g. omniscientia, omnipotentia, justitia, misericordia &c. involvunt rationes oppositas: justitia enim (formaliter sumpta) non potest esse misericordia, & tamen non differunt reali-